Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">

Math

et aut illi. Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nup-
tialem. At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris. Ligatis
pedibus eius et manibus mittite eum in tenebras exteriores. Ibi erit
fletus et stridor dentium. Multi enim sunt vocati paucis electis.
Tunc abeuntes pharisei consilium inierunt ut caperent iesum in
sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum herodianis dicentes
Magister scimus quia verax es et viam dei in veritate doces. Et non
est tibi cura de aliquo. Non enim respicis personam hominum. Dic
ergo nobis. Quid tibi videtur. Licet censum dare cesari. An non.
Cognita autem iesus nequitia eorum ait. Quid me tentatis
ypocrite. Ostendite mihi numismata census. At illi obtulerunt ei
denarium. Et ait illis iesus. Cuius est ymago hec et superscriptio.
Dicunt ei. Cesaris. Et ait illis. Reddite ergo quae sunt cesaris cesari
et que sunt dei deo. Et audientes mirati sunt. Et relicto eo abierunt.
In die illo accesserunt ad eum saducei qui dicunt non esse resur-
rectionem mortuorum. Et interrogaverunt eum dicentes. Magister Moy-
ses dixit. Si quis mortuus fuerit non habens filium ut ducat fra-
ter uxorem illius et suscitet semen fratri suo. Erant enim apud
nos septem fratres. Et primus uxore ducta defunctus est non
habens semen reliquit uxorem fratri suo. Similiter secundus et tertius
usque ad septimum. Novissime autem omnium et mulier defuncta est. In
resurrectione ergo cuius erit de septem uxor. Omnes enim habuerunt eam.
Respondens autem iesus dixit illis. Errastis nescientes scripturas
neque virtutem dei. In resurrectione enim nec nubent nec nubentur
sed erunt sicut angeli dei in celo. De resurrectione autem mortuorum non
legistis quod dictum est a deo vobis dicente. Ego sum deus abraham
et deus ysaac et deus iacob. Non est autem deus mortuorum sed viventium
Et audientes turbe mirabantur in doctrina eius. Pharisei autem cum
audissent quia silentium imposuisset saduceis convenerunt in unum.
Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor tentans
eum et dicens. Magister quod est mandatum magnum in lege. At illi
iesus. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima
tua et ex tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum.
Secundum autem simile huic. Diliges proximum tuum sicut te ipsum.
In hiis duobus mandatis universa lex pendet et prophete. Con-